

suum, odibilis sit, ita et stultus rediens ad peccatum suum ».

21. Non ergo hoc solum sufficit si, incusans temetipsum, peccata tua videaris exponere, sed eo affectu hoc age, ut speres tibi in eo iustificationis aliquid conferri per paenitentiam. Sic enim poteris et ipse animae tuae confitenti incutere verecundiam, ne ultra in haec pro quibus confitetur incurrat. Nam condemnare semetipsum et peccatorem dicere, commune hoc est omnium paene etiam infidelium. Denique multi de scaena quoque viri et praecipue mulieres impudicae peccatores semetipsos et sceleratos appellant, sed non eo prospectu haec dicunt quo cupiant emendari. Et ideo non est ista dicenda confessio. Non enim ex corde compuncto, nec in amaritudine lacrimarum talia proferunt, nec eo affectu quasi qui oderint ea quae accusant, nec ultra non dicam agere haec sed ne audire quidem velint, sed tantum res in sermone est et sermone summis labiis non ex intimo cordis dolore producto. Ita interdum etiam pro hoc ipso laudari expectant, quasi qui nihil fallant, sed, licet contra semetipsos, tamen vera pronuntient; quasi vero non ita grave apud homines appareat peccatum, cum ab eo profertur qui id admisit et cum ab alio arguitur. Sed istud faciunt hi qui multa desperatione etiam sensu doloris carent, nec hominum tam verentur notam sed cum fiducia quadam quasi aliena ita propria enuntiant mala. Te autem nihil horum facere volo, neque ex desperatione ad confitendum venire sed cum spe bona et praesumptione indulgentiae, desperationis radice penitus excisa. Radix autem desperationis est ignavia, et non solum radix sed etiam nutrix eius